



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ecclesiasticorum Vita, Moribus, Officiis Libri Tres

Schevichavius, Gisbertus

Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.

Capvt V. Synopsis Et Ecclesiasticæ vitæ breuiarium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42349

Quum presbyterum vestrum, Saluto sanctos diaconos, saluto sub-
diaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, Laborantes, Exorcistas.
Qui plura velit, legat Catholicis oculitibus dilectum,
& in sectariorum oculis eundem Cardinalem nostrum
Robertum Bellar. l. 1. de clericis c. 12. Nos ad Institu-
tum reuertamur. Cum ergo Apostolus, quæ ad vitam
sanctimoniam pertinentia præscribit Episcopis, man-
det Presbyteris, & quæ imperat Presbyteris, præcipiat
Episcopis, & utrisque iniungat, quæ Diaconis & infe-
rioribus ordinibus & his prorsus commendat, quæ &
illis, manifesta & liquida est determinatio hæc & con-
clusio. Quæcunque mandata siue de vitiis fugien-
dis, siue de sectandis virtutibus, quasi præter ceteros
& separatim videtur Apostolus dare aut Episcopis,
aut Presbyteris, aut Diaconis, eadem generatim &
communiter vniuersis dat Clericis.

*Quatuor aut
segregatorum
capitulum con-
clusio.*

C A P V T V.

*SYNOPSIS ET ECCLESIASTICÆ
vitæ breuiarium.*

Tabula in qua ab Apostolo Ecclesiasticæ
vitæ imago est elegantissimè
depicta.

SILVE ut ait Sanctus Hieronymus epistola 83. ad
Oceanum capite quarto. Vbi quasi speculum Sa-
cerdotum proponitur. Iam in potestate & conscientia singu-
larum est, quales se ibi aspiciant: ut vel dolere ad
deformitatem, vel gaudere ad pulchritudinem pos-
sint.

De

De Clericorum vitiositate & virtute, hac prosequenda, illa fugienda.

§ 1. *Non* sint scelere aliquo cooperti, sed omni crimine vacantes. 2. *Non* sint accusabiles, sed laudabiles. 3. *Non* sint mediocriter tantum boni, sed virtutibus clari & præcellentes. 4. *Non* sint culpa sua & vitio despicabiles & contempti sed honestate & merito suo venerandi & honorabiles. 5. *Non* sint sinistrae & aduersae famae, sed bonae & praeclaræ. 6. *Non* sint prauae & accusantis conscientiae, sed defendentis & incorruptae.

De Superbia & Humilitate.

§ 1. *Non* sint superbi, insolentes, elati, sed humiles, modesti, sui cognoscentes. 2. *Non* sint contumaces, proterui sibi placentes, & aliorum contemptores, sed submissi, tractabiles, sibi displicentes, & beneuolae æqui proximorum aestimatores. 3. *Non* sint vani honoris aucupes sed contemptores. 4. *Nec* tamen in rebus pro Dei gloria, sua alienaque salute gerendis sint pusillo & deiecto animo, sed magno & excelso.

De auaritia & liberalitate.

§ 1. *Non* sint alieni appetentes, & sui nimium tenaces, parci, inhumani, sordidi, lucris inhiantes, opibus incubantes, sed largi, benefici, optimè semper de aliis merentes. 2. *Non* sint diuitiarum admiratores, coaceruatores, anxij custodes, sed benigni distributores, victu cultuque corporis contenti. 3. *Non* sint ab hospitibus peregrinis, egenis abhorrentes, sed eorum amantes, studioli ac hospitales. 4. *Non* sint iniusti & iniurij, sed iusti, & qui unicuique quod suum est, tribuant.

buant. 5. Neque tamen sint prodigi, vt in res vanas, superfluas, indecoras, pecunias profundant, sed Dei ac honestatis ergo, quibus, quando, & quantum oportet, rectè largiantur.

De luxuria & castitate.

§ 1. Non sint impuri, & libidinosi, sed casti, pudici, honesti. 2. Non sint impudentes & lasciui, sed yercundi, & bene morati. 3. Non sint leuiculi, vani, & dissoluti, sed vultu, habitu, decenter compositi, maturi, graues, ac cōstantes. 4. Non sint bigami, sed summum monogami. 5. Non sint tantum corpore, sermone, a spectu casti & puri, sed & cogitatione.

De ira & mansuetudine.

§ 1. Non sint ad iracundiam, pugnam, iniuriam, violentiam, procliues & faciles, sed sedati, mites, tranquilli. 2. Non sint mōrdaces, maledici, obtrectatores, sed qui & benè sentiant, & benè loquantur de proximis. 3. Non sint litigiosi, cōtrouersi, morosi, sed moderati, iucundi, affabiles. 4. Vindictam læsi non appetant, sed amanter condonent.

De intemperantia & cibi potusque moderatione.

§. Non sint commessatores, potatores, & vinolenti, sed temperato cibo vtantur, & potu, nec multo vino sint dediti, sed paucō contenti.

De inuidia & charitate.

Non sint maleuoli & inuidi, sed probitatis & bonorum hominum amantes.

De

De Acedia & sedula pietate.

§ 1. Non sint impii, sed sancti, ac Dei summo opere reuerentes. 2. Non sint otiosi, socordes, ignaui, sed diligentes, perui Giles, attenti. 3. Non sint in familia sua pie, honeste, vtiliter gubernanda negligentes, sed prouidi, perui Giles, accurati.

De inscientia & scientia.

§ 1. Non sint imprudentes & stupidi, sed scientes & circumspecti. 2. Non sint in Dei & Ecclesiae negotiis imperiti & inexercitati, sed qui eorum vsum habeant & peritiam. 3. Non sint rudes & ineruditi, sed doctrina exculi, sed humanis diuinisque literis perpolit, vt alios instituere, exhortari & consolari possint.

De conuersatione cum proximis.

§ 1. Non sint malo merito suo despicabiles, sed bono merito suo venerabiles. 2. Nulli prauitatis dent exempla, sed omnibus virtutis documenta. 3. Non sint fraudulentum & simulatores, vt aliud loquantur, aliud sentiant, sed sinceri & veraces. 4. Attendant sibi & lectioni, & exhortationi, & doctrinae, & in perficienda virtute toti sint, vt eorum profectus omnibus sit manifestus. hoc enim patet & sibi & aliis erunt salutiferi. 5. Prudenter, benigne, caste agant cum hominibus secundum cuiusque aetatem, statum, sexum, ac necessitatem, omnibus

bus omnia fiant, non mentientes astu, sed compati-
entibus affectu, ut omnes lucrificent, & non per-
dant.

Hæc documenta & Apostoli præcepta clericis data
potissimum ex priore & posteriore Timotheica, &
Titiana epistolis desumpta sunt, & sequentibus capi-
tulis demonstrabuntur, de quibus Sanctus Gregorius
Nazianzenus Apolog. 1. Quotusquisque est, inquit, qui si ad
amissam eam regulamque seipsum exigat, quam Paulus de E-
piscopis & presbyteris fixit, nempe ut sobrii & prudentes sint,
non temulenti, non percussores, sed docendi periti, irreprehen-
sibiles, atque huiusmodi, ut nulla eos improborum calumnia at-
tingere queant, non sese à norma rectitudinis permultum ab-
esse comperiet? Ego quantumuis puer ad Sanctam Re-
ligionem vocatus hoc clarissime video, & ut Lector
meam deprecetur culpam vehementer rogo.

CAPVT VI.

CVR AB ECCLESIASTICIS VI-

ris tantam virtutis absolutionem postulet

Apostolus.

§. **E**X P E D I T A & in promptu est responsio.
Propter amplissimam clericalis præsertim sa-
cerdotalis status & ordinis maiestatem, de qua au-
dire nonnullos Sanctos Patres pretium erit operæ.
Sanctus Clemens libro septimo, Constit. Apostol. capite tri-
gesimo secundo. Episcopo constitut presbyteros homines pios,
iustos, mites, non cupidos, veritatis studiosos, pro-
batos, sanctos, non acceptores personarum, qui
valeant